

*Remissa sunt peccata eius multa,
quoniam dilexit multum.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

7, 36-50

In illo témpore:

- ³⁶ Rogábat Iesum quidam de pharisæis,
ut manducáret cum illo;
et ingressus domum pharisæi discúbuit.
- ³⁷ Et ecce múlier, quæ erat in civitáte peccátrix,
ut cognóvit quod accúbuit in domo pharisæi,
áttulit alabástrum unguénti
- ³⁸ et stans retro secus pedes eius flens
lácrimis cœpit rigáre pedes eius
et capíllis cápitis sui tergébat,
et osculabátur pedes eius et unguénto ungébat.
- ³⁹ Videns autem pharisæus, qui vocáverat eum,
ait intra se dicens:
«Hic si esset prophéta sciret útique
quæ et qualis múlier, quæ tangit eum,
quia peccátrix est».
- ⁴⁰ Et respóndens Iesus dixit ad illum:
«Simon, hábeo tibi áliquíd dícere».
At ille ait:
«Magíster, dic».
- ⁴¹ «Duo debitóres erant cúdam fæneratóri:
unus debébat denários quingéntos, álius quinquagínta.
Non habéntibus illis, unde rédderent, donávit utrísque.
Quis ergo eórum plus díliget eum?».
- ⁴³ Respóndens Simon dixit:
«Æstimo quia is, cui plus donávit».
At ille dixit ei:
«Recte iudicásti».

- ⁴⁴ Et convérsus ad mulierem, dixit Simóni:
«Vides hanc mulierem?
Intrávi in domum tuam:
aquam pédibus meis non dedísti;
hæc autem lácrimis rigávit pedes meos
et capíllis suis tersit.
- ⁴⁵ Osculum mihi non dedísti;
hæc autem, ex quo intrávi,
non cessávit osculári pedes meos.
- ⁴⁶ Oleo caput meum non unxísti;
hæc autem unguénto unxit pedes meos.
- ⁴⁷ Propter quod dico tibi:
Remíssa sunt peccáta eius multa,
quóniam diléxit multum;
cui autem minus dimíttitur, minus díligit».
- ⁴⁸ Dixit autem ad illam:
«Remíssa sunt peccáta tua».
- ⁴⁹ Et cœpérunt, qui simul accumbébant, dícere intra se:
«Quis est hic, qui étiam peccáta dimíttit?».
- ⁵⁰ Dixit autem ad mulierem:
«Fides tua te salvam fecit; vade in pace!».

Verbum Dómini.